





1789.

18. Puchmannus, Tr. Lud. im. fac. jur. pro cancellario:  
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen IX.  
Programma, quo sollemnis doctoralia Thomae Victorici  
Bastelli indicit.
19. Puchmannus, Tr. Lud. Em., fac. jur. pro cancellario:  
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen X.  
Programma, quo sollemnis doctoralia Caroli Foveae  
Curtii indicit.
20. Puchmannus, Tr. Lud. Em., fac. jur. pro cancellario:  
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen VIII.  
Programma, quo sollemnis inaugurationis Joannis  
Klavis Lutherati indicit.
21. Puchmannus, Tr. Lud. Em.; fac. jur. pro cancellario:  
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen VI: Program-  
ma, quo sollemnis inaugurationis Adalphi Wenceslai Schmittii  
indicit.
22. Puchmannus, Tomus Ludov. Em. de: De distinctione  
inter amicum occidendi directam et indirectam  
et jurisprudentia criminis distinctiva.

1789.

23. Richterius, Christ. Gott: De veritate a proprie-  
tatis domus fundi pachtuario imponenda ad  
115 Gult. 1. 16 Oct 117 pr. d. de usufructu.
24. Rosenmüller, S. Georg, fac. jur. procurator cellarius:  
De fatis interpretationis sacramentum litterarum in  
ecclesia Christiana. Programma, quo sollemnia in an-  
gustia Gualteri Augusti Baumgarten Cressii in-  
dies.
25. Sattlerus, Corotus Augustus: De causis Constitutionum  
principum in corrupta Christianorum disciplina  
gacron dis
26. Schmidtus, Wolpum Wenceslaus: De vi et efficaci-  
tate juris, jus audi
27. Reinhold, Benjamin Tranyall: De imputatione delicti  
indirecti
28. Neckmann, Augustus Cornelius: Elector Fr. Georgius II,  
Saxoniae et Lusatiae legislator. Programma, quo so-  
llemnia doctrinae indies.

1789.

29. Weisse, Antonium Emilianum: Per orationes successu  
in serenissima gente Saxonia-Albertina
30. Wendlerus, Augustus Adalphi: De quinquennialibus  
et decennialibus imperatorum Romanorum.
31. Winckler, Carolus Gersperus, fidei-jur. pro cancellario  
fac-jur. ordinarius seniori et benigne assessore:  
honoralis XIII p. 5. ex adversariis juris jurisprudenti.  
Programma, quo solenniter doctoralia Christiani Henrici  
Stuedleri indiget.
32. Winckler, Carol. Gersp. de: De jurejurando.
33. Winckler, Gersperus Rudovicus: Finis exceptionis  
non adimpleti contractus et praestanda evictionis
34. Winckler, Gersperus Rudovicus: De praedicatione judiciali  
in testamento illiterati haud necessaria.

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



PROCIANT CARITVS  
IOSEPHVS VON WITTMANNVS

SOLLEMNIA IN AVOYRALLA

PRÆCLARISSIMI CANDIDATI

IOHANNIS DETERICI SEBSTER

HAABERERII







7961,62

178922.  
5

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
 DE  
 DISTINCTIONE INTER ANIMVM  
 OCCIDENDI DIRECTVM ET  
 INDIRECTVM  
 E IVRISPRVDENTIA CRIMINALI ELIMINANDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
 P R A E S I D E  
 IOSIA LVDOV. ERNESTO PÜTTMANNŌ  
 I. V. D.

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBVRGENSIS CANONICO PANDECT. PROFESSORE  
 ORDIN. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

PRO OBTINENDIS  
 SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

A. D. III. DECEMBR. MDCCCLXXXIX  
 DISCEPTATIONI ERVDITORVM PVBLICAE

H. L. Q. C  
 P R O P O S I T A

A  
 IOANNE DIETERICO BAETCKE  
 HAMBVRGENSI

LIPSIÆ  
 EX OFFICINA BVESCHELIA



DISSERTATIO INAVGURALIS

DE

DISTINCTIONE INTER ANIMAM

OCCIDENDI DIRECTVM ET

INDIRECTVM

E. INSEPVENDIA CRIMINALI PUNIENDA

ILLUSTRISSIMO AC SACR. SAC. PALAT. AUSTRIAC. ACADEMIAE SCIENTIARVM

IOSEPHO FERDINANDO PRINCIPALI

CAESAREO-ROYALIS ACADEMIAE SCIENTIARVM VIENNAE SOCIETATIS

MEMBRUM IN AUSTRIA ET BOHEMIA

A. D. MDCCCXXXIII

IOHANNES DIETLICH BARTOLINI

---

DISSERTATIO  
DE  
DISTINCTIONE INTER ANIMVM OCCIDENDI DIRE-  
CTVM ET INDIRECTVM E IVRISPRVDENTIA  
CRIMINALI ELIMINANDA.

---

Quemadmodum veteres arbores, imprimis eae, quae circum-  
quaque radices egerunt, non nisi difficillime multoque la-  
bore euelluntur ac extirpantur; ita inueterati etiam errores per-  
uersaeque opiniones, cum semel multorum animos hominum  
occuparunt diuque illis infederunt, non nisi difficulter inde rur-  
sus elui delerique possunt. Quotus enim quisque id, quod multa  
per secula plerisque placuit semperque verum ac rectum visum  
fuit, tanquam falsum reiicere solusque sapere, maiores autem,  
a quibus eiusmodi opinio ad nos propagata nobisque per manus  
quasi tradita est, erroris manifesti postulare audeat? Taceo iam,  
plerosque, ut laboris compendium faciant, alienis, quam suis,  
videre oculis, erroribusque subscribere communibus, quam ip-  
sos, quid verum falsumue sit, inuestigare malle. Sed bonum  
factum, quod contra veritatem, ad quam omnibus pater aditus,  
nulla allegari potest praescriptio, vereque *Cic. de Div. II. 33.*  
*Errabat multis in rebus antiquitas, quam vel usu iam, vel doctrina,*  
*vel vetustate immutatam videmus.* Quidni igitur nos quoque fal-

fam, quae, tanquam peregrinus in ciuitatem, ira ipsa in iurisprudentiam criminalem nullo iure irrepfit, opinionem eicere atque eliminare audeamus? Ne autem andabatarum more pugnare videamur, principio quidem, quid vulgaris ferat opinio, edisseram, deinde, hanc ipsam opinionem nec sanae rationi, nec iuri Mosaico, nec iuri Rom. nec denique C. C. C. consentaneam esse, ostendam, tandemque, quid mihi ipsi hac de re videatur, adiciam. Vos quaeso, Lectores, attendite, praecudicatasque opiniones procul habete; quo deinde, quis recte sentiat pomumque mereatur, existimare facilius possitis.

Quotquot de criminibus aliquid litteris consignarunt, fere omnes, cum de homicidio loquuntur, inter homicidium dolum animo directo et animo indirecto commissum distinguunt. Ne cum turba nobis res sit, age, nominemus saltem aliquot, eosque haud proletarios aut vltima ex cauea, sed viros doctos, in quibus magna amplitudo atque auctoritas est. Primus esto III. DAN. NETTELBLADT in diss. *de homicidio ex intentione indirecta commisso*, §. 9. *Intentionem, inquit, directam dicunt, qua id intenditur, propter quod agens agit, indirectam vero, qua agens quidem per se non vult, quod ex actione sua sequitur, quod tamen perinde, ac id, quod per se vult, ex eadem sequi potest; et §. 16. Homicidium ex intentione indirecta commissum est homicidium dolum. Si enim homicidium ex intentione indirecta commissum est, homicida sciuit, ex actione sua homicidium sequi potuisse, cum ad omnem intentionem indirectam requiratur,*

tur, agentem scire, ex sua actione eadem facilitate aliud quid posse sequi, ac id, quod directe intendit. At enim vero, si agens scit, ex sua actione praeter id, quod directe vult, aliud quid eadem facilitate sequi posse, quoad hoc, si sequitur, in dolo est. Ergo homicidium ex intentione indirecta commissum est homicidium dolosum. In eandem sententiam I. S. F. BOEHMER in *Elem. iur. crim.* §. 202. Qui sponte cum animo laedendi versatur in re illicita, ex qua scit, vel scire facile potest ac debet, mortem ordinarie ac per se inde sequi posse ac solere, is antecederet eam velle, ac per consequens animum occidendi habere censetur, ex vulgato axiomate: Qui consentit in antecedens, non potest non consentire in consequens. Nec aliter Cel. J. C. QUISTORP in *D. Grunds. d. D. P. N.* §. 223, et centum alii, a) quorum nomina hic legi nihil attinet.

Ab his quidem nonnihil dissentire videtur LEYSERUS *Spec. 603.* Sed dissentit tantum, quod ad verba attinet, re autem ipsa ei cum reliquis conuenit. Scribit enim *l. c.* Discrimen, quod vulgus inter animum occidendi directum et indirectum facit, nec utile est, nec accuratum. A male quoque definitur. Accuratius et cum lege loquuntur, qui animum occidendi indirectum animum seu voluntatem nocendi appellant. Peccant, qui voluntatem nocendi ad ultimum supplicium homicidae irrogandum sufficere negant, sed animum occidendi directum requirunt. Vbi animum occidendi, siue directus siue indirectus, verisimiliter ex circumstantiis apparet,

A 3

reo,

a) Ita etiam nuper CAIETAN. FILANGIERIUS in opere *La Scienza della Legislazione* inscripto, *Lib. III, c. 30.*

## VI

reo, cum neganti, iusiurandum purgationis non recte permittitur, sed potius tormenta decernuntur. Quin tunc, ubi animus iste liquido apparet, ne quidem tormentis opus est, sed confestim ultimum supplicium decerni potest. Animus occidendi indirectus etiam sine proposito vulnerandi aut corpus laedendi esse potest. Sufficit animus quomodocunque laedendi cum facto, ex quo mors verisimiliter sequi poterat, coniunctus, et med. 4. Quisquis letifero instrumento vulnus intentat, hic certe, siquidem recta ratione praeditus est, praevidet, ex vulnere illo mortem sequi posse. Dum itaque hoc scit, et tamen vulnerat, in mortem adversarii consentit, adeoque non in culpa, sed in dolo est. Quamvis eum, qui directum interficiendi animum habet, magis in dolo esse, non inficiemur; interim omnis dolus, etsi gradu inferior, ordinariam poenam meretur. Convenit haec sententia nostra iuri divino, uti in primis ex Num. XXXV. 16-18. apparet, ubi ad irrogandum homicidae ultimum supplicium sufficere dicitur, ut quis mortifero instrumento aliquem percussit, atque hic ex eo vulnere decesserit. Congruit quoque iuri civili, quo crimen homicidii contrahi dicitur, si et voluntas nocendi intercedat, l. 1. C. ad L. Corn. de sic.

Aliam nuper viam ingressus est G. G. PETZ de LICHTENHOF in diss. de infanticidio per indirectum probato b) p. 15. scribens: Homicidium dolosum animo directo commissum rectius deserviendum est, quod sit tale, ubi de animo occidendi ex ipsa rei confessione constat; homicidium vero dolosum animo indirecto commissum tale, ubi ex facto

plene

b) Quae prod. Altorf. 1782.

plene probato omnibusque illius circumstantiis animus occidendi per ratiocinium eruitur. Et hic quidem communem odoratus errorem verbis vulgo receptis alium substituit significatum. Cum autem homicidium dolosum animo indirecto commissum vere σιδηρόζυλον sit, praestat sane, veterem, in quo ipse olim haesi, errorem ingenue fateri, et hunc naeuum penitus e iurisprudencia criminali tollere. Ego certe haud ita mihi Suffenus sum, quin, sicubi a vero aberrauerit animus, mea egomet ipse vineta caedere soleam. Verissime SENECA, de Ben. IV. 38. *Non est leuitas, a cognito et damnato errore discedere, et ingenue fatendum est, aliud putauit, deceptus sum: haec vero superbae stultitiae perseverantia est, quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque fit.*

Equidem scio, iam ante nos errorem hunc fere communem notasse I. F. DE SODEN in d. Geist d. teutschen Kriminal-Gesetze, P. I. p. 39. et P. II. p. 67. itemque AUCTOREM commentat. de vanitate homicidii ex intentione indirecta commissi, c) paucosque fortasse alios, qui in nullius verba magistri iurare didicerunt. Cum autem,

c) Vid. Die Chimäre eines Todtschlags aus indirekten Vorsatz, in d. Kielschen Magazin, I B. 2. St. (Hamb 1787) p. 345. Hanc commentar. cuius auctor est Cel. CHRISTIANI, refellere conatus est Conf. I. C. ESCHENBACH in Progr. de dolo indirecto delinquentium, inprimis homicidarum, Rostoch. 1787. quod etiam legitur in dem Niedersächs. Archiv für Jurisprudenz und juristische Litteratur, P. I. Sect. 2. p. 65. Scribit autem ESCHENBACHIVS §. 6. homicidium ex dolo indirecto commissum dici, quoties delictum dolosum leuius ex indole facti, cuius confessoria ab arbitrio delinquentis haud pendent, eius causa fuit: quod, quia non modo subobscurè, sed etiam minus latine dictum est, sigillatim refellere supersedeo. Vindicias commentationis suae nuper scripsit CHRISTIANI in dem N. Kielschen Magazin, II B. 3. St. p. 365. sq.

## VIII

tem, quantum quidem scio, nemo hoc argumentum ita exhaurit, ut nihil nobis dicendum reliquisset videatur, praetereaque etiamnum plerosque falsae, in qua exagitanda versamur, opinioni subscribere videam, spero fore, ut hic labor iis, qui iustum rebus pretium statuere norunt, haud superfluum videatur.

Sed demonstrandum mihi nunc est, distinctionem inter animum occidendi directum et indirectum nec sanae rationi, nec iuri Mosaeico, nec iuri Rom. nec denique C. C. C. consentaneam esse. Dico igitur primo, vulgarem hac de re opinionem sanae rationi nequaquam congruere. Cardo rei in iusta doli mali definitione versatur; et VLPIANUS quidem in *l. 1. §. 2. D. de dol. mal.* praeunte LABEONE ait, dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Cum autem facile praeuideam, hanc definitionem non omnibus se probaturam esse, sumamus quaeso eam, quam suppeditat Ill. DAN. NETTELBLADT in *Syst. iurispr. natural. §. 103.* his verbis: *Dolus malus est, si agens sciuit et voluit existentiae dari, quod per suum factum existentiae datur.* Iam quaero, num aptari hoc possit ei, qui non animum occidendi, sed nocendi tantum habet? Scitne hic, fore, vultne hic, ut id reapse fiat, quod deinde praeter illius mentem accidit? Si hoc sciret et vellet, nae animum occidendi haberet directum, frustra que de animo nocendi, s. ut aduersarii loquuntur, de intentione occidendi indirecta quaereretur.

Fin-



Finge tibi hominem iracundia ardentem, nihilque, nisi vindictam anhelantem, et prae ira, in rabiem fere conuersa, sui ipsius probe oblitum. Quidquid ei se primum obtulerit, eadem fere auiditate, qua alii coronas, arripiet et pro instrumento ultionis utetur. Apposite CLAUDIANUS *Carm.* 78.

*In iaculum, quodcumque gerit, dementia mutat.*

*Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.*

*Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera saeuit.*

*Pro telo geritur, quidquid suggesserit ira.*

Fac porro, eum aduersarii caedem haud quaerere, sed fluctuario aut verberatione contentum esse, hanc ipsam autem tam infelicitate alteri inferri, ut letifera fiat caesique mors inde sequatur. Scire iam velim, an caedens homicidii *dolosi* reus sit? Si me audias, nequaquam, propterea quod aduersarii mortem nec voluit, nec illam ex verberatione aut vulneratione secuturam esse praecuidit. Sed ais, eundem hoc, cum vulnera non infligantur ad mensuram, praecuidere saltem potuisse, mihi que illud GROTII de *I. B. et P. II.* 17. 18. *Inuoluntarium, ex voluntario ortum habens, moraliter pro voluntario habetur, obicitis.* Neque vero haec ita comparata sunt, ut mea me sententia depellant. Primo enim ultro sumitur, caedentem euentum futurum necessario praecuidere debuisse et potuisse. Quid enim, si prae ira id haud cogitauit? Quid, si ipse caesus motu aliquo infelici nudum latus dedit vulnerique mortifero occasionem praebuit? Ad GROTII dictum

dictum quod attinet, valeat in causis civilibus, in causa capitis valere non potest, nisi aliquid addas, et dicas: *Inuoluntarium ex voluntario ortum necessario et omni modo habens, moraliter pro voluntario habetur.* Haud magis me mouet vulgatum illud, quo BOEHMERUS vtitur, dictum: *Qui consentit in antecedens, non potest non consentire etiam in consequens;* quod sane haud vsquequaque verum est, sed potius multoties fallit. Vtar, pace tua, exemplo. Qui mare ingreditur, iter (quod nemo facile negauerit) periculosissimum suscipit. Verissime HORATIUS *Carm. I. 3.*

*Illi robur et aes triplex*

*Circa pectus erat, qui fragilem truci*

*Commisit pelago ratem*

*Primus, nec timuit praecipitem Africum*

*Dicertantem aquilonibus,*

*Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.*

Nec sine ratione BIAS, qui est ex septem sapientibus, dixisse fertur: *Qui nauigat, neque inter mortuos, neque inter viuos censetur.* Quisquis igitur mari sese committit, praenidere et potest et debet, facile fieri posse, vt nauis aut scopulis illidatur, aut piratarum praeda fiat, ipseque aut mortem oppetat, aut miserrimam redigatur in seruitutem. Licetne hic dicere: *Qui in antecedens (ingressum scilicet maris) consentit, non potest non consentire in consequens, (naufragium, seruitutem, mortem)?* Profecto nequaquam!

Si

Si hoc non placet, aliud quaeso sume exemplum. Quae diu surda fuerat virgo castasque blanditiis obstruxerat aures, tandem querelis expugnata in amplexus ruit amantissimi sui, haud cogitans, quanto suam, non dicam famam, sed fortunam, sed vitam periculo exponat. Poterisne hic etiam usurpare πολυθρῦλλον illud: *Quae in antecedens (amplexus venereos) consentit, non potest non consentire in consequens* (i. e. grauiditatem, omniaque, inde quae oriri possunt, mala atque incommoda)? Caue dixeris, ne quis tibi illud OVIDII *Ep. II. v. 85.* occinat:

— — Careat successibus opto,

*Quisquis ab euentu facta notanda putat. d)*

Quae volumus, et credimus libenter, ait CAESAR de *B. C. II. 27. e)* Quid igitur mirum, si mercator, mare ingrediens, si virgo, in amplexus venereos ruens, si iratus, vulnus alicui intantum, non euentum pessimum, sed id ipsum, quod optant, euenturum esse sperant? Nae haec spes consuetudini humanae nimium quantum congruit.

Sed quorsum haec? Eo scilicet, vt lectoribus persuadeamus, frustra ab aduersariis nostris dici, ei, qui non nisi laedendi

B 2

habuit

d) Conf. JOA. CAMERARII *Comm. Non esse ex euentis de consiliis actionibusque hominum pronuntiandum, Lips. 1579.*

e) Similiter SENECA *Trag. in Herc. fur. v. 313. Quod miseri volunt, hoc facile credunt.*

habuit animum, omne id, quod hanc laesionem sequitur, imputandum esse.

Quibus positis quaero, quo iure sola laedendi voluntas absque animo occidendi, laeso praeter opinionem ex vulnere mortuo, pro homicidio doloso venditari queat? Recte praecipiunt dialectici, definitionem non modo totum exhaurire definitum, sed huic etiam soli conuenire debere, ita ut cum eo possit recipiari; nec non diuisionem adaequatam esse debere diuiso, seu omnes partes consentire cum toto; itemque sedulo vitandam esse ambiguitatem verborum, aequae ac *παράδοξα* in alium modum, vnde non possunt non oriri sophismata s. argumenta, quae non ad veritatem, sed ad errores ducunt. f) Haec si ad distinctionem inter animum occidendi directum et indirectum transferas, nullo negotio intelliges, caedem hominis ex intentione, ut aiunt, indirecta admissam pro homicidio *doloso* nequaquam haberi posse; atque hoc ipsum est, quod primo loco a nobis demonstrandum erat.

Proximum est, ostendamus, praedictam illam opinionem nec in iure Mosaico vllum inuenire praesidium. Quod antequam faciamus, monuisse iuuabit, etiamsi hoc aliter se haberet, nihilo tamen minus illam legislationem nos hodie haud simpliciter obstringere, propterea quod quaelibet lex a publicatione demum valere incipit, leges autem Mosaicæ, Iudaicis olim  
latae,

f) Vid. AMAD. DE LA RIVE *Logica* (Geneuae 1756.) p. 242, 270. et 276.

lae, Christianis (vt leges) haud publicatae sunt, ideoque nec in foris Christianorum, nisi Principi ita placuerit, pro legibus valent; quod non modo a viris doctissimis dudum demonstratum, g) sed etiam sententiae coetus christiani, qualis primis post CHRISTI mortem saeculis fuit, consentaneum est. Quaeris, vnde mihi hoc constet? En tibi locum maxime memorabilem, quem nuper legi in *Constitutionibus*, quas vocant, *Apostolicis* h) *Lib. I. c. 6.* in hancce sententiam: *Sed et dum legem lectitas, absque ab iis, quae in ea sunt adscita, etsi non ab omnibus, a quibusdam tamen, quae ad Deuteriosim i) pertinent, quae tantummodo historicae cognitionis causa lege, vt agnoscas laudesque Deum, quod te talibus tantisque vinculis liberarit. Sit autem tibi ante oculos propositum, cognoscere, quid sit lex naturalis, et quid sint adiuncta illa, quae ad Deuteriosim spectant, quaeque in eremo constatoribus vituli data sunt. Lex enim in iis consistit, quae, antequam populus in idololatriam incideret, et vitulum, Apim illum Aegyptiorum, fabricaretur, Dominus Deus locutus est, i. e. in decalogo: porro vincula, quae illis, postquam peccarunt, iniecta sunt, tu tibi ne attrahas. Saluator quippe noster non ob aliud venit, nisi vt reos ab ira referuata liberaret, legem et propheta-*

B 3

tas

g) Vid. J. A. HANNESENI diff. de non existentia legum diuinarum posituarum vniuersalium, in eius Opusc. Goett. 1754. p. 57. §. 28. sq. et MAINARD. TYDEMANI diff. de legibus diuinis posituis vniuersal. Trai. ad Rh. 1774.

h) In Oper. S. S. Patrum, qui tempor. Apostol. floruerunt, (Antwerp. 1698.) Tom. I. p. 205.

i) Deuteriosis, *deuteriosis*, significat leges secundarias s. hominum traditiones. CANGIUS in *Glossar. f. v. deuteriosis*.

tas implet, et adscita illa Deuteroseos vincula vel adimeret vel transferret. Idcirco enim iuuitans nos aiebat: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et quamuis nemo fere hodie persuaderi sibi patiatur, Constitutiones illas ipsis debere Apostolis, in eo tamen plerique consentiunt, easdem exeunte seculo IV. confarcinatas fuisse, sententiasque coetus christiani illorum maxime temporum referre. k) Iam quid clarius verbis: Lex in iis consistit, quae Deus locutus est in decalogo: porro vincula, quae illis, postquam peccarunt, iniecta sunt, tu tibi ne attrahas? Haec certe maioris apud me ponderis sunt, quam quidquid viri docti, pariter atque indocti, ea de re vtramque in partem disputarunt. Sed haec *παρέργως*.

Iam, quod ad leges super homicidio olim latas et in sacro codice occurrentes attinet, primo quidem lex Noachica a iure Mosaico separanda est. Illa legitur *Genes. IX. 5. et 6. Vestri quidem sanguinis et ereptae vitae poenas cum ab omnibus bestiis expectam, tum hominum inter ipsos necem in auctorem cuiusque vindicabo, ut, quoniam ad diuinam imaginem factus homo est, qui hominis sanguinem fuderit, ipse inuicem sanguis per hominem fundatur.* Dudum autem alii monuerunt, hanc legem non magistratibus regulam in homicidio plectendo seruandam praescripisse, sed modum vindictae

k) Vid. DOUATIUM *Pracnot. canonic. Tom. I. p. 538.* et Pertsch *Historie des Can. und Kirch-Rechts, p. 30. sq.*

tae per sanguinis vindicem ab homicida sumendae definiisse. 1) Sane, si haec lex omnibus omnium temporum hominibus lata esset, sequeretur, vt etiamnum bestiae quoque hominem necantes morte multandae essent, quod tamen nemo facile dixerit. Fuit potius lex temporaria, NOAE eiusque liberis praescripta, ius autem magistratum poenas homicidii temperandi haud restringens.

Lex porro Mosaica occurrit *Exod. XXI. 13. sq.* *Qui non captauerit, sed in eum forte fortuna incurrerit, statuum vobis locum, quo confugiat. At si quis alterius necem per dolum de industria machinatus fuerit, is vel ab ara mea ad necem-abstrahitor, nec non Num. XXXV. 16 - 18. Qui si ferreo telo percusserit, atque ille mortuus fuerit: homicida est, moriatur percussor. Item si saxo manuali letifero percusserit, atque ille mortuus fuerit: homicida est, moriatur percussor. Item si ligneo telo manuali letali percusserit, atque ille mortuus fuerit: homicida est, moriatur percussor, et denique Deut. XIX. 17. Si quis odio alterum prosequens eum per insidias adgressus letaliter vulnerauerit, isque mortuus fuerit, deinde ille in aliquot illorum oppidorum confugerit, tum senatores illius homicidae ciue eum illinc arcessendum*

1) Conf. I. D. MICHAELIS *Conim. II. ad leges diuinas de poena homicidii, in Syntagm. Commentat. P. I. Gott. 1759.* eiusdemque *Mosaïschs Recht, P. VI. §. 273. sq.* nec non G. LESS *Comment. super quaest. Ran die Todesstrafe auf den Kinder-mord ohne Verletzung der göttlichen Befehle abgeschafft werden?* in *Z. L. Poffelers wissenschaftlichen Magazin, 1. Heft, no. 3* et C. MALANIMA *Commentario filologico-critico sopra i delitti e te pene, secondo il gius diuino, Liorno 1786.*

*dum curanto, et sanguinis vindicta interficiendum dedunto.* Iam quis non intelligit, hic nequaquam de animo nocendi, s. vt aduersarii dicunt, de intentione occidendi indirecta, sed de homicidio vere doloso et praemeditato sermonem esse? Priorem locum (*Exod. XXI. 13.*) *Septuaginta Interpretes* ita verterunt: 'Εάν τις πονήσῃ τις τῆν, καὶ ἀποθάνῃ, θανάτω θανατεύσῃ. Ὁ δὲ ὄχι ἐκίον, ἀλλὰ ὁ Θεὸς παρέδωκεν αὐτὸν εἰς τὰς χεῖρας αὐτῆ, δώσω σοι τόπον ὃ φεύξεται ἐκεῖ ὁ Φονεύσας; m) melius autem A Q V I L A : καὶ ἐς ἃ μεθώδουσεν, et qui non fuerit insidiatus, s. qui non fraudulenter aliquem circumuenit; n) quocum etiam conuenit *versio Bibliorum vulgata*: o) *Qui autem non est insidiatus.* Nec aliud mihi persuadet LEYSERUS, ad verba *Num. XXXV. 16.* prouocans, indeque patere existimans, ad irrogandum homicidae vltimum supplicium sufficere, quod mortifero aliquem instrumento percusserit, atque hic eo ex vulnere decesserit, etsi ille animum occidendi haud habuerit. Nisi enim contra artis hermeneuticae regulas committere velimus, hic locus ex reliquis, idem ad argumentum pertinentibus, explicandus est. Iam cum non modo *Exod. XXI. 13.* sed etiam

*Deut.*

m) Vid. *Vetus Testamentum ex vers. septuag. interpret. cura J. J. BREITINGERI, Tiguri Heluet. 1730. Tom. I. p. 134.*

n) Vid. *Hexaplorum ORIGENIS quae supersunt, cur. BERN. DE MONTFAUCON (Paris. 1713.) Tom. I. p. 78.* de ipso autem A Q V I L A , graeco Bibliorum interprete, qui vixit sec. II. CHR. SAXII *Onomast. litterar. P. I. p. 296. et 582.*

o) *Tom. I. p. 177.* edit. a PETR. SABATIER *Paris. 1751.* curatae. De uersione Bibliorum vulgata, quam Italam vocant, consule CHR. SAXII *Onomast. litterar. P. I. p. 523.* ibique laudatos.



*Deut. XIX. 17.* doli mali et insidiarum animique occidendi manifesti disertis verbis mentio fiat, nonne locus etiam *Num. XXXV. 16.* ita intelligendus erit, ut cum prioribus amice conspiret, nullaque inter illos repugnantia supersit?

Sed ais fortasse, si omnibus hisce locis poena capitalis non nisi in homicidium insidiosum et deliberatum sancita est, quid quaeso de homicidio ex ira subitaneae animi commotione perpetrato dicendum erit? Itane haec species in iure Mosaeico plane silentio praeterita nihilque de ea sancitum fuit? Ita sane statuit celeberrimus I. D. MICHAELIS in *D. Mosaisch. Recht P. VI. §. 273.* cui tamen ex rationibus supra iam prolatis in eo subscribere nequeo, quod animum etiam vulnus alicui infligendi, laeso ex vulnere mortuo, ad poenam homicidii meditati reo infligendam sufficere autumat. Ait quidem, vulnerantem sanguinem sumpsisse, et licet non omnem laesi sanguinem quaesiverit, sed parte eius contentus fuerit, vel hoc tamen eo, quod Ebraei זָדִיָּהּ (*Zediah*) dicunt, contineri, ideoque poenam homicidii insidiosi reo applicandam esse, nisi vanis facinorosorum effugiis occasionem praebere vitamque vniuscuiusque nostrum periculo exponere velimus. Quemadmodum autem inter eum, qui vniuersum alicuius sanguinem effundere (i. e. vitam ei eripere) voluit, illumque, qui non nisi paruum sanguinis eiusdem particulam videre (i. e. vulnus ei infligere) cupiuit, magnum intercedit discrimen, neque,

C

vt

## XVIII

vt dialectici praecipiunt, a toto ad partem argumentari fas est; ita etiam periculo, quod vir eruditissimus metuit, facile obuiam iri potest, modo in aestimandis omnibus facti partibus (vulgo circumstantiis) recte versetur, qua de re infra dicendi locus erit. Et nonne haec etiam res plena esset periculi, si ex vulnere, ab irato forte, instrumento etsi mortifero, alteri illato statim animum occidendi colligere liceret? Sapienter CICERO de Off. I. 8. *In omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitato fiat iniuria. Leuiores enim sunt, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur, idemque pro Mil. cap. 4. Causa, non telum, quaeritur.* Et quid, si reo instrumentum, quo vulnus alteri infixit, fortuito in manus incidit, aut si eo uti pro more solitus est? Apposite PLAVTVS *Aul. III. 2. 2.*

*Eu. Ad Tresuiros iam ego deferam tuum nomen.*

*Con. Quam ob rem?*

*Eu. Quia cultrum habes.*

*Con. COQUUM DECET.*

Taceo iam, in causis capitalibus extensivae, quam vocant, interpretationi haud locum dari, semperque iis, qui de eiusmodi causis iudicant, ante oculos habendum esse illud SENECAE de Clem. I. 1. *Conditum, immo constrictum apud me ferrum est. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia desunt, hominis*

*minis nomine apud me gratiosus est. Severitatem abditam, clementiam in promptu habeo.*

Sed instant aduersarii suamque sententiam ex legibus etiam Romanis probare fatagunt, qua quidem in re dupliciter errare mihi videntur. Primo enim, etiamsi id, quod volunt, in iuris romani corpore centies legeretur, nequaquam tamen illud sequendum esset, propterea quod id, quod sana damnat ratio, summa sine iniustitia legibus sanciri haud potest, et si eiusmodi quid in legibus peregrinis, a nobis quodammodo receptis, occurrat, iure negligitur. Sapienter TERTULLIANUS in *Apolog. Leges non annorum numerus, nec conditorum dignitas, sed sola aequitas commendat; atque ideo, si iniquae cognoscuntur, merito damnantur.* Deinde, si omnes, quae vulgo laudantur, leges paullo attentius consideraueris, tantum abest, ut ibi id, quod aduersarii venditant, scriptum inuenias, ut etiam contrarium inde probari haud obscure possit. Quod ut melius pateat, principes, qui huc pertinent, locos adscribere haud pigrabor.

Iam in *leg. XII. Tab.* ita fere sancitum erat: *Si quis hominem liberum DOLO SCIENS occiderit, capitalis criminis reus esto. Sin casu eum sine dolo ac sine voluntate sua occiderit, pro capite eius, quem trucidauerit, eiusque liberis placandis, arietem in concione suo loco caedendum substituito.* Conf. I. N. FUNCCIUS ad *Leg. XII. Tab.* p. 335.

Magis autem huc facit *l. 1. §. 3. D. ad Leg. Corn. de sic. vbi* ita MARCIANVS: *Diuus Hadrianus rescripsit, eum, qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admittit, absolui posse, et qui hominem non occidit, sed vulnerauit, ut occidat, pro homicida damnandum; et ex re constituendum hoc. Nam si gladium strixerit et in eo percussit, indubitate occidendi animo id eum admisisse: sed si clauis percussit aut cucuma in rixa, quamuis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam eius, qui in rixa causa magis, quam voluntate homicidium admittit, itemque, CALLISTRATUS quod refert in l. 14. D. eod. D. Hadrianus in haec verba rescripsit: In maleficiis voluntas spectatur, non exitus. In eandem sententiam PAULUS Sent. Rec. Lib. V. Tit. 23. §. 3. Qui hominem occiderit, aliquando absoluitur, et qui non occidit, ut homicida damnatur. Consilium enim vniuscuiusque, non factum puniendum est; ideoque qui, cum vellet occidere, id casu aliquo perpetrare non potuerit, ut homicida punietur, et is, qui casu iactu teli hominem imprudenter occiderit, absoluitur. Nec aliter IMPP. in l. 1. C. ad Leg. Corn. de sic. Frater vester rectius fecerit, si se Praefidi prouinciae obtulerit. Qui si probauerit, non occidendi animo hominem u se percussum esse, remissa homicidii poena secundum disciplinam militarem sententiam proferet: crimen enim contrahitur, si et VOLUNTAS NOCENDI intercedat. Ceterum ea, quae ex improviso casu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae imputantur, itemque in l. 5. Cod. eod. Eum, qui adseuerat, homicidium se non voluntate, sed casu fortuito fecisse, cum calcis ictu mortis occasio praebita*

videatur, si hoc ita est, neque super hoc ambigi poterit, omni metu ac suspitione, quam ex admittae rei discrimine sustinet, secundum id, quod adnotatione nostra comprehensum est, volumus liberari; p) quod etiam repetiit *Aulfi. Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit. I. §. 10.* Qualitas precum Iuli Antonini clementiam nostram facile commouit, quippe quod asseueret, homicidium se non voluntate, sed casu fortuito fecisse, cum calcis ictu mortis occasio praebita videatur. Quod si ita est, neque super hoc ambigi poterit, omni eum metu ac suspitione, quod ex admitti discrimine sustinet, secundum id, quod adnotatione nostra comprehensum est, volumus liberari. q)

His adde, quod PAVLVS ait in *l. 7. D. ad Leg. Corn. de sic. In lege Cornelia dolus pro facto accipitur: nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur.* Quid enim factum eius, qui absque occidendi animo vulnus alicui inflixit, quod huic deinde mortem conciliauit, aliud est, ac homicidium culpa admissum? Haud male nuper monuit Cel. CHRISTIANI, actiones dolosas praua oriri ex voluntate, culposas contra ex errore atque incuria, nullamque actionem dolosam sine praeuia fieri deliberatione, etsi haec interdum breuis sit. Vulnus quidem dolo malo reus aduersario suo inflixit, mortem autem ei haud intentauit, ideoque nec homicidii

C 3

dolosi

p) *L. 1. et 5. Cod. ad L. Corn. de sic.* repetiit etiam GRATIANVS in *Decret. can. 46. et 47. dist. 50.*

q) De lectione huius loci nonnihil monuimus in *Syll. varior. opusc. p. 169.*

dolosi reus existimandus est. Equidem scio, esse nonnullas in iure Rom. species, ubi culpa lata in causis etiam criminum dolo malo quodammodo aequiparatur. Pertinet eo, quod legitur in *l. 38. §. 5. D. de poen.* Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum, relegantur. Quodsi eo mulier aut homo perierit, summo supplicio adficiuntur, nec non in *l. 3. §. 2. D. ad Leg. Corn. de sic.* Ex Scto relegari iussa est ea, quae non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quae acceperat, decesserit. Alio Scto effectum est, ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum, pituocampas, aut bubrosim, mandragoram, et id, quod lustramentum causa, dederint cantharidas, poenam teneantur huius legis, itemque in *l. 11. D. de incend.* Si fortuito incendium factum sit, venia indiget, nisi tam lata culpa fuit, ut luxuriae aut dolo sit proxima. Sed hoc ideo obrinet, quia facta illa animaduersione digna sunt res mali, imo pessimi exempli, quo facile alii ad similia tentanda possint excitari, ut iam monuit I. O. WESTENBERG in *Pand. Lib. XIII. Tit. 6. §. 50.* qua de re plura inuenies apud IO. VAN DE WATER *Obs. I. 16.* IAN. LANGLAEVM in *Semestr. VIII. 15.* et F. G. BOERS in *Spec. Philosoph. iurid. de Anthropologia Idior. Rom. quatenus sloica est,* in OELRICHI *Thef. nou. diff. Belg. Vol. III. Tom. II. no. 3.* Magnopere autem fallitur et fallit LEYSERVS *Spec. 603. Corol. 1. et 2.* Duo, inquit, exempla maxime memorabilia animi occidendi indi-

ret;

*recti in iure nostro occurrunt; unum in c. ult. de homicid. in 6. ubi is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, cum mandando in culpa fuerit et hoc euenire posse debuerit cogitare; alterum in l. 6. C. ad Leg. Iul. de vi publ. ubi ultimum supplicium irrogatur ei, qui nec occidere voluit, tumultum tamen, turbam, pugnam, vel alium actum, in quo hominem perire posse praeuidit, in quo homo etiam perit, dolo malo concitauit. Priore de specie, quantum satis est, diximus in progr. de excessu eius, cui aut verberatio aut vulneratio alicuius mandata est, mandanti haud imputando, quod hic, ne cramben bis costam lectoribus apponamus, haud repetimus; et quod ad alteram attinet speciem, in aprico est, in l. 6. C. ad Leg. Iul. de vi publ. haudquam de poena homicidii, sed potius de vi publica, seu crimine violentiae sermonem esse, ut docent verba, quibus Imp. statim ab initio vitur: Quoniam multa facinora sub uno violentiae nomine continentur. Lege scilicet Iulia de vi publ. tenetur etiam is, qui hominibus armatis possessorem domo, agroue, aut naui deiecerit, ut legimus apud MARCIANVM in l. 3. §. 6. D. h. i.*

His omnibus probe consideratis nemo, spero, dabitur, quin iure Rom. sola nocendi voluntas animo occidendi nequam aequiparetur, ideoque falsa aduersariorum opinio in legibus Rom. nullum omnino inueniat praesidium. Nec morari quemquam debet, quod iure Rom. etiam is, qui occidendi causa

cum

cum telo tantum ambulavit, pro sicario habeatur, §. 5. *I. de iud. publ. l. 1. pr. D. ad Leg. Corn. de sic. l. 16. §. 8. D. de poen.* Fuit enim haec singularis Leg. Corneliae sanctio, quae apud nos hodie non amplius valet, et singularem etiam habuit rationem, ut iam monuit ROB. EDEN in *Iurispr. philolog. s. element. iur. civ. sec. meth. et ser. Inst. Iust. (Oxon. 1744.) p. 288.* *Existimare licet, Cornelium Syllam hanc legem tulisse post saevissimam civium proscriptionem, atque, ut tandem finem imponeret caedibus, quae tum passim impunitae, gravitate poenae etiam a conatu homines detertere voluisse.*

Forſitan autem C. C. C. huic, in qua refellenda verſamur, opinioni nonnihil patrocinaſtur. Si me audias, nequaquam. Verba *Art. 137.* ita ſe habent:

Ein jeder Mörder oder Todtſchläger, wo er deſhalb nicht rechtmäßig Entſchuldigung ausführen kan, hat daſſ. Leben verſtürkt. Aber nach Gewohnheit etlicher Gegend werden die fürſeglichen Mörder und die Todtſchläger einander gleich mit dem Rade gericht. Darinnen ſoll Unterſcheid gehalten werden, und alſo, daß der Gewohnheit nach ein fürſeglicher muthwilliger Mörder mit dem Rade, und ein ander, der ein Todtſchlag aus Jähel und Zorn gethan, und ſonſt auch gemelote Entſchuldigung nicht hat, mit dem Schwerd vom Leben zum Todt geſtraft werden ſollen.

Sunt,



Sunt, qui hic verbo *Mörder* eos, qui homicidium dolosum ex intentione directa committunt, verbis *Todtschlag aus Zäheit und Zorn* autem homicidium ex intentione, vti loquuntur, indirecta admissum intelligant. r) ZACH. CONTRA RICHTERUS in *progr. Lips. 1760. prop. 1*) demonstrare voluit, in *Art. 137. C. C. rē* *Mörder* eos, qui homicidii qualificati rei sint, vocabulo *Todtschlag* autem omne homicidium simplex, seu deliberatum, seu subito animi motu commissum, significari, verbaque etiā *ander, der einen Todtschlag aus Zäheit und Zorn gethan*, ita interpretatur: *qui homicidium simplex, etiam ex iracundia, commisit.* Mihi quidem (dicam plane, quod sentio,) neutra placet interpretatio. Quod enim ad priorem attinet, verosimile haud videtur, auctorem C. C. solam vulnerandi aut verberandi voluntatem, morte licet inde secuta, ultimo supplicio vindicandam censuisse, cumque verba dicti Art. aliam magisque commodam admittant interpretationem, auctori C. C. tam duram legislationem tribuere nefas existimo.

Quantum ad explicationem ZACH. RICHTERI, ea verbis *diff. Art. 137.* nequaquam conuenit, neque video, quare verbo *Mörd* non

r) Vid. III. DAN. NETTELEBLADT *alt. diff. S. 41.*

s) Cui fere subscribit Cel. E. C. WESTPHAL in *d. Grundf. von rechtl. Beurtheilung d. aus Hitze des Zorns unternommenen Handlungen, Halle 1784. p. 89.*

non nisi homicidia qualificata, vocabulo *Todtschlag* autem homicidium simplex, tam deliberatum, quam ex ira admissum, intelligere necesse sit. Ego igitur *Art. 137. C. C.* ita intelligo: Qui homicidium insidiosum aut deliberatum (de industria, ἐν πρῶται-  
*γέσσει*) admittit, τ) rota, qui autem ex ira aliaue subita animi commotione, re quidem antea haud deliberata, attamen consulto (volens occidere) caedem admittit, υ) gladio tantum ple-  
 ctendus est. Haec interpretatio non modo verbis alleg. art. ver-  
 naculis optime congruit, sed nulla etiam difficultate laborat.

Sed quaeris fortasse, qui fieri possit, vt ira percitus, ante-  
 quam aduersario suo vulnus letiferum infligat, secum quasi in-  
 consilium ire et aliquid decernere possit? Ego vero, quin hoc  
 non modo fieri queat, sed reapse etiam interdum fiat, nullus  
 plane dubito. Sane non omnes irati tanta tenentur rabie, vt sui  
 peni-

τ) In quem conuenit illud *Cic. Phil. II. c. 34. Attuleras domo medita-  
 tum et cogitatum scelus.*

υ) Eadem distinctio in Legibus ROBERTI II. Scotiae quondam regis, oc-  
 currit. Vid. *Histoire de S. Louys IX. Roi de France, écrite par Jean  
 Sire de Joinville, enrichie de nouvelles observations par Charles du  
 Fresne (Paris. 1688.) P. III. p. 166.* vbi haecce leguntur verba: *Les  
 loix de Robert II. Roy d'Escoffe chap. 3. et 6. font difference d'entre  
 l' homicide commis ex calore iracundiae, qu' elles appellent chaudemelle,  
 et celui, qui se fait ex certo et deliberato proposito, qu' elles qualifient  
 du nom de Felonia.*

penitus obliti, quid agant, nesciunt; et nonne vel punctum temporis ad caedem animo concipiendam sufficit? Hac igitur explanatione admissa, *Art. 137. C. C.* ad solam vulnerandi voluntatem, s. vt cum aduersariis loquar, ad animum occidendi indirectum, haud pertinet, omnisque durities et difficultas euanescit. Aequissime autem CAROLUS V. homicidium insidiosum et deliberatum grauius (sc. rota), quam caedem ex ira, licet consulto, re tamen ante haud deliberata, (gladio) plectendum censuit, propterea quod, quae repentino aliquo motu accidunt, leuiora sunt iis, quae meditata inferuntur et praeparata. Atque huic interpretationi *Autor etiam commentat. de vanitate homicidii ex intentione indirecta commissi*, supra iam laudatae, quod quidem laetatur, subscripsit.

Supereft, quid mihi ipsi de omni hac re videatur, breuiter strictimque aperiam. Ego scilicet ita existimo atque sic animum induco meum: Qui homicidium admittit consulto, seu re ante diliberata, seu consilio occidendi ex continenti capto, is vltimo supplicio mihi plectendus videtur: qui autem (absque occidendi voluntate) non nisi animum verberandi aut vulnerandi habuit, eum, laeso licet ex vulnere mortuo, non mortis poena, sed perpetuo tantum carcere coercendum existimo, propterea quod hic, vt supra, ni fallor, ostendi, pro homicida doloso haberi

D 2

haud

haud potest, nec praua appellatio, in causa maxime sanguinis, toleranda est. Ceterum inter animum occidendi purum s. simplicem, et euentualem s. conditionalem nihil interesse existimo. Loquar clarius. Nihil referre puto, caedens simpliciter mortem alteri intentauerit, an vulnus ei inferre voluerit, ita tamen, vt etiam in mortem eius, si vulnus forte letiferum fiat, consenserit. Nae, qui hoc fecit, vtique homicidii dolosi reus est, quia aduersarii mortem, etsi sub conditione, scilicet si vindicta alia ratione sumi, aut res aliter fieri nequeat, optauit. Et fortasse ipsi distinctionis inter animum occidendi directum et indirectum auctores hanc, cuius modo mentionem fecimus, inter animum occidendi purum s. simplicem et euentualem s. conditionalem, distinctionem in mente habuerunt, magisque in verbis, quam re ipsa errarant.

Quisquis igitur aliquid facit, vnde alterius mortem aut necessario, aut probabiliter saltem secuturam esse scit, ille non potest non in eiusdem mortem consentire, ideoque homicidio doloso sese alligat. Ita, cum aliquot abhinc annis in Lusitania vndecim milites Russici superiorum ordinum parua nauicula in mari navigantes piscatoribus nonnullis obuiam venirent, hi quidem eo procedebant procacitatis, vt totam nauiculam euerterent, militesque omnes ei insidentes ad acheronta mitterent. Quis quae-  
so

fo dubitabit, quin hi nebuliones homicidii dolosi fuerint rei? Non poterant enim non praesentire, hunc fore euentum petulantiae suae. Facit huc l. 7. §. 7. D. ad Leg. Aquil. Si quis de ponte aliquem praecipitauit, Celsus ait, siue ipso ictu perierit, aut continuo submersus est, aut lassatus vi fluminis victus perierit, Lege Aquilia teneri, quemadmodum si quis puerum saxo illisisset, itemque l. 15. D. ad Leg. Corn. de sic. Nihil interest, occidat quis, an causam mortis praebeat. x)

Quid autem de sequente dicendum specie? Ad Principem aliquem Siciliensem aliquot abhinc annis venit mercator quidam, pretium poscens mercium, quas ei ipsius iussu transmiserat, Princeps ex hac postulatione aequa atque honesta tantam concipit iram, ut mercatorem ex alto per fenestram in aream deiici iuberet, quo facto ille paucos post dies expirauit. Regis vtriusque Siciliae Vicarius (Vice-Rex), ad quem ob factum tam inhumanum iustissimae deferebantur querelae, Principem, tanquam homicidii dolosi reum, capite truncari iussit, nullisque precibus, ut hanc poenam leuaret, exorari se passus est. y) Non poterat enim non Princeps, mortiferum fore hunc iactum, prauidere, cum.

D 3

cum.

x) Vid. PETR. RAINUTHI lib. sing. de iure naufragii, Lucae 1778. p. 28.

y) Rem narrat A. ZAUPSER in den Gedanken über einige Punkte des Kriminalrechts, p. 93. fg.

cumque nihilominus hominem innocentem ex alto deiici consulto consilio iusserat, doli mali vix poterat absolui. Sed ais fortasse, fieri tamen potuisse, vt mercator deiectus pedibus forte insistendo incolumis in terram delaberetur, milites autem supra memorati, euerfa licet naucula, nando continentem attingerent. Quemadmodum autem generatim ea, quae difficillima sunt et non nisi rarissime fiunt, sperare vix licet, ita in speciebus etiam propositis nec ars sine pennis volandi, nec peritia sine cortice in mari natandi iure poterat expectari.

Quid autem, si factum ita haud sit comparatum, vt animus occidendi inde certo colligi possit, reusque illum prae fracte neget? Tunc ante omnia, cuiusmodi armis aut instrumentis (letiferisne, an haud letiferis) caedens vsus sit, videndum est. Cum quis autem instrumento etiam haud letifero, imo vel pugno aut pedum calcatu absque armis occidi queat, contrariaque ex parte occidens instrumento letifero vti, et animum occidendi tamen non habere potuit, ipsa rei persona consideranda, et num probabile sit, eum crimen tam graue admittere voluisse, inuestigandum est. Bene ASC. PEDIANUS in *arg. act. in Verr. p. 67.* (edit. quae L. B. 1644. prod.) *Pleraque crimina ex ante acta vita saepe firmantur. Sumitur etiam hinc saepe defensio. Omnis enim confirmatio ab attributis personae et negotio sumi solet. Ergo attributa personae*  
ma-

*maxime in ante acta vita quaeri solent, negotium in ipso crimine.* Haud minus, num caedens atque occisus inimici inuicem fuerint, an minus, et quidquid praeterea caedem proxime antecessit eamque secutum est, probe considerare oportet. Quodsi igitur ex his omnibus probabile fiat, animum occidendi abfuisse, pro causae qualitate reus aut simpliciter doli mali absoluendus, aut res eius iuriurando committenda est. Sin contrarium vero similis sit, reus, dum de innocentia sua doceat, carceri aut ergastulo mancipandus est. Atque sic periculum, quod nonnulli ex hac, quam defendimus, sententia oriri facile posse existimant, sua sponte euanescit.

Tandem, etsi hac in causa, ommissis auctoritatibus, ipsa ratione exquirere possumus veritatem, non abs re tamen erit monuisse, ab hac sententia praeter scriptores supra iam laudatos, haud alienos esse G. BARTHIIUM in *Hodog. forens. p. 100.* C. F. HOMMELIUM in *den Philosophischen Gedanken über das Kriminalrecht*, p. 102. 109. et 119. et Perill. I. H. C. de SELCHOW in *den Rechtsfällen P. II. p. 38. 2)*

Post-

2) Ceterum hic etiam laudari merentur G. H. BRÜCKNERI *Progr. An homicidium absque animo necandi sit capitale, et unde probetur is animus?* Ienae 1712. et I. T. KREBSII *Comm. de amico consensu Ebraeorum, Graecorum, Romanorum in poena homicidiae non voluntario constituenda*, Lips. 1781.

Postquam haec dudum scripseram, prodiit nuper clarissimi  
B. T. STEINMETZII, A. M. diff. philosoph. exhibens *de imputatione  
doli indirecti Specimen I.* quo cum hoc argumentum nondum sit  
absolutum, eius hic rationem habere haud potuimus. Certe,  
nos animum ei contradicendi nec habuisse, nec per temporis  
rationem habere potuisse, ipse doctissimus STEINMETZIIUS  
locuples testis est.

---



Leipzig, Diss., 1789 P-Z

X 241 7829





7901,62

178922  
5

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
DISTINCTIONE INTER ANIMUM  
OCCIDENDI DIRECTVM ET  
INDIRECTVM  
E IVRISPRVDENTIA CRIMINALI ELIMINANDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
IOSIA LVDOV. ERNESTO PÜTTMANNŌ  
I. V. D.

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBVRGBENSIS CANONICO PANDECT. PROFESSORE  
ORDIN. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

A. D. III. DECEMBR. MDCCLXXXIX  
DISCEPTATIONI ERVDITORVM PVBLICAE

H. L. Q. C  
P R O P O S I T A

A  
IOANNE DIETERICO BAETCKE  
HAMBVRGBENSI

LIPSIAE  
EX OFFICINA BVESCHELIA

